Oratio anniversaria in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensium ex Harveii instituto habita ... 1774 / [Sir Richard Jebb].

Contributors

Jebb, Richard, Sir, 1729-1787. Royal College of Physicians of London.

Publication/Creation

Londini: W. Griffin, 1775.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ehqs2hqe

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org




30358/C

5





































ORATIO

ANNIVERSARIA

IN THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM

EX

HARVEII INSTITUTO

HABITA.

DIE XVIII OCTOBRIS, 1774.

A RICHARDO JEBB, M.D.

Med. Reg. Extraord. Coll. Med. Lond. Soc. Reg. et Antiq. Socio.

LONDINI:

Apud GUL. GRIFFIN.

MDCCLXXV.

ERRATA

MUDICOLUM LONDINUMENTM

Page 7, Line 9, for tantumu, read tantum. Page 18, Line 16, for alienun, read alienum.



ORATIO

als adno per arecias falientis; nune fe im yenulatum

ANNIVERSARIA

HARVEIANA.

LORIAM, virtutis præmium, Gloriam, vitæ pretium eaducæ, sibi pollicetur quisque cordatior, Harveiusque ipse hodiernæ celebrationi suturam suam adjunxit, et cum Antecessorum tempora laureis, quas meruêre, ornanda curaret, prospexit in longitudinem, et consuluit suis. Neque sactum vertat vitio Invidia, ne morte quidem extincta, Jure enim legitimo, venerandus ille Senex, qui, vitæ patesacto sonte, ipsaque Natura studio devicta, sangui-

nîs, nunc per arterias salientis, nunc se in venularum angustias, vel glandularum anfractus condentis, iterumque e latebris emissi per venas ad cor, leni, orbico, novoque motu redeuntis cursum indicaverat; Qui fagacitate usus vigili, patientiá, memoratu incredibili, generationem animalium, ovi vim, et prægnationis fub incubatione progressionem, tam dilucidé quam subtiliter explicuerat; Qui Arte instrumentis, Bibliothecâ libris, e suâ munificentia auctis, Musæum et Cœnaculum extruenda, Convivium annuum apparandum jusserat; Denique, qui ætate provectior, nec idcirco ad rem attentior, quò magis Collegarum inserviret commodis, morte præcisa, vivens vidensque ex agro paterno se exuerat; Bené, inquam, subducta ratione, talis Harveius, qualem attigi, conscius suorum in suam rempublicam meritorum, potensque famæ, hodierna quoque munia servanda instituit, cæterisque adjecit Orationem quotannis nostram, in quâ, tanquam in speculo, clarissimorum Artis principum vitam filii inspicere possent, et patrum exemplo commoniti, gloriæque capti splendore, eadem consilii vestigia

vestigia premerent, et tantorum nominum laudes æmularentur.

Nec injurià; Nascimur enim laudi, et cum cætera animalia, Naturæ legis, suorumque observantia munerum, prona, rationis egentia, nullum vivendi sinem, neque bonum, nisi ex abdomine petere videntur, Humanus animus, decerptus e mente divinà, et cælestem, etiam sub corporis servitio sapiens originem, suum solummodo gaudium gaudet, quando bené actæ vitæ recordatione sibi gratulatus, præsentibus fruitur, jaculatur sutura, et vagatus ultrá perituri hujus corporis terminos, spe concipit solidæ illius gloriæ segetem, quam ex posteritatis incorruptà voce sibi redituram auguratur.

Er sané vobiscum attentiùs reputantes quibus cælum virtus recluserit, vix invenietis, (absit autem verbo vanitas vel arrogantia,) quorum laudibus suffragari justiori debetis causa, quam Medicinalis Artis cultorum; Superbiant enim, in imperiis et magistratibus versati, versati, quod homines agrestes serosque in societatem convocatos, ad rationis formam quodammodo essinxerint; Initiati sacris, quod leges spe et metu, mores disciplina adjuverint; Vel militari re insignes, ob sanguinem patriæ largitum, pacemque quæsitam bello; Suam tamen, neque minimam honoris partem Medicina quoque vendicabit, et innixa ea quam præstat, benevolentia, rerumque scientia stabili, se miseris opem, ægris salutem, et vel morientium animis gratam nec inanem consolationem afferre gloriabitur.

E SUAPTE autem nobilis naturâ, clarior, ut opinor, multum evaderet medicina, si major adhiberetur cura in eorum delectu, qui nostræ dicantur arti exercendæ, in eo tam corporis quam animi cultu, eoque venustatis studio, quæ sæpiús ad gratiam conciliandam plus valuisse fertur, quam doctrina, scientia, vel ipsius artis comprobata prudentia.

LICETNE ulteriús progredí, et hujus loci atque temporis freto indulgentia, extrema illius ingenii lineamenta,

neamenta, rudi operâ ducere, illius disciplinæ formam leviter tangere, quæ mihi, tum ad Medicos formandos, tum ad savorem publicum emerendum aptissima videretur?

VELLEM in primis honesto natum loco; Fortes enim creantur fortibus; In eastà domo habetur pueri reverentia; Vitæque exemplaria probatæ, ante oculos frequenter versata, contagione quâdam dulci et felice imitatorem facilem ducere possint, qui forsitan magistri monita accepisset negligenter, vel ab ejusdem mandatis, utpote durioris legis, omnino abhorruisset: Viribus debet esse ad laborem ferendum firmis, docilitate ingenii, ut quæ tradantur facile arripiat, memorià egregià, peracri judicio, erectà mente, câque assiduitate, et incommodi patientià, quæ omne impedimentum possit superare. Infantiam sub dió agat ad corpus roborandum; Pueritiam in publicæ scholæ concertatione ad exacuendum ingenium; Et cum manum ferula subduxerit, sueritque doctus utriusque sermonis quantum ætati convenit, Arithmetices etiam,

C

Geographiæ, Chronologiæ, et Rhetorices instructus rudimentis, tempus erit ut in Academiâ, beatâ illâ Musarum sede, animum diligentiús convertat ad Historicos, Oratores, Poetas, Græcos et Romanos legendos, ad veterum instituta pernoscenda, eamque orationis structuram ordinandam, et eloquii nitorem afsequendum, ut de re, quæcunque sit proposita, vel sermone alieno, vel proprio, et copiosé, et ornaté, vel scribere vel dicere possit. Deinceps reconditarum disciplinarum studio accinctus, e Logica, Mathefi, et scientiis (uti dicuntur) ab illis pendentibus, ratiocinandi facultatem comparet; A Metaphysica, mentis fuæ vigorem experiri, et septa discat agnoscere; Ab -Ethicâ, neque violare homines, neque offendere; Et â Juris Civilis cognitione, quid sit privatum, quid alienum, quæ propria civitatis atque imperii, quæ denique Jura totius humani generis esse videantur. Ut animus autem ad cogitandum melior redeat, danda est per intervalla laborum remissio, utilior efficienda, si in omni corporis exercitatione valetudinis ratio habeatur, animique inter oblectamenta, ea præcipué feligantur,

seligantur, quæ a severiobus studiis reficere dulcedine quâdam præsenti possint, et fructus quoque ferre, in vità magis occupatà posthàc non futuros inutiles; Hujufmodi funt, Naturalis, ut vocatur, Historia, Agrorum, vel Hortorum levior cultura, Mufica, Poesis, Pictura, Marmorum veterum et Numismatum studia, cum multis aliis: Neque vel Ludi Campestres sunt prorsus contemnendi, artesve aliæ complures, quamvis minoris notæ, in quibus non tantumu qæritur utilitas necessaria, quantum umbræ et otii oblectatio, et quæ juventutem lætificare folent, virilem ætatem non dedecorant, et senectuti frequentissimé sunt solatio et voluptati. Studiorum, ab operà Academicà, ad nostram medicinalem, facilis erit tralatio, in quâ, Botanica, Chemia, Anatomia, medicamentorum Peritia, morborum Diagnosis, et Clinice, unum et alterum annum commodè divisos, totos occupabunt; Neque fibi parcere licebit, donec a veterum libris, et præsentium inventis, ab eorum sermonibus et colloquiis qui Doctrina primarii, vel usu forensi maxime versati habentur, quodcunque poterit

fibi esse auxilio vel ornamento, hauserit, corraserit, et in ordinem redegerit, e quo, quasi e thesauro, ex re, ad quamcunque causam possit depromere. Sin autem omnibus numeris absolutus velit sieri, ne his quidem contentus, paulum illud, quod domi non habet unde discat, quæret foris, hoc sibi emolumenti pro comperto sacturus, ut alias gentes meminerit non contemnere, adamare suam. Abindé reversus, literis eruditus, virtutibus ornatus, et in omnibus illis artibus quas liberum scire æquum est, solertissimus, tandem Correggionis adinstar, Pictoris illius Parmensis præstantissimi, quæsitam meritis sumat superbiam, et se quoque Medicum prositeatur.

Vix restat, quod adjiciam, nisi, ut cum in Medicinæ campum, aciemque forensem descenderit, vestros mores, atque disciplinam, Socii Ornatissimi, in usum suum transferat, non studio incensus habendi, ad captandum vulgus specie severior, neque ad mulieres lactandas officiosé sedulus, non opinionum novarum arte quâdam ostentator; At apertus, modestus

destus, continens, commissa celans, veritatis diligens, benesicii memor, injuriarum spretor, liberalitate notus neque temporarià, neque callidà, hominibus non fortunæ amicus, officii non commodi rationem habens, postremò, qui unum directum iter ad laudem instruendum æstimaverit, Astutiæ, Malitiæ, Technis animosus hostis.

Neque censeat Auditorum quilibet me imaginem mentis evanidam, velut ægri somnia, adumbrâsse, potiús quam delineâsse expressa signa veritatis, nec laborem licet improbum detrectet; Audentibus nil arduum; Non deest Naturæ vis sed Industria; Et qui summa petiit nunquam redibit extremus; Porró autem monstranda sunt ad imitationem exempla omnis ævi atque gentis, qualia volentes allicere possint, dubitantibus afferre siduciam, et vel segnibus addere calcaria. Nonne suos jactat Medicinæ patres successivos, Ægyptus, Græcia, Roma et Arabia? Nonne etiam inter sequioris sæculi tenebras, eluxêre aliquot sparsa ingenii selicioris lumina? Quid memorem

peracutum illum, qui renascentibus, sub Francisco primo Gallorum rege, literis, caput altius extulit, nec minus claruit arte, doctrina, et linguarum peritiâ, quam facetiis; Illum, inquam, aviarum veterum, commentorum, et formidinum, quas finxerat fuperstitio, sub mutuata larva derisorem subtilissimum Rabelæsium? Cui inaudita sama Veneti illius admirabilis Patris Pauli dicti? Qui, si non ipse Medicus, tamen adeo Medicinæ confanguineus, ut sub ejus. nomine, ab Harveio, inventum illud de circuitu. sanguinis nobile, Livor, quamvis frustrá, surripere conatus sit, et qui annos tantúm sex et viginta natus, omnibus sui temporis artibus suisse dicitur instructus; Idemque qui posteá, jurum civium suorum contrá Pontificis Romani tyrannidem vindex imperterritus, et ficario exindé petitus, exemplo fortitudinis, et patientiæ perillustri docuit, quid possit pectus, imbutum literis, incoctum honesto, pro charis amicis et patriâ non timidum perire.

eriam inter femiliarist faciali renderas, elteste calamori

An audio vero? An audire videor Linacri nostri vocem, increpantis, meque acriter, et pené merité objurgantis, qui ab ultimâ antiquitate et alienis, exemplaria imitanda conquirere ausus sum, cui domi, et ab his suis ædibus, tanta virorum amplissimorum cohors, omnium laudum, quas desiderarem, abundantiam possit suppeditare? Instauratoris nostri Linacri, qualem præterita raró conspexerunt sæcula, et rariús conspicient sutura: Cui fortunatissimo contigit, Ignorantiæ claustra refringere, Literas intermortuas renovare, propriam Famam, doctrina, ingenio, moribus, peregrinatum extendere, et quicquid utriusque sermonis, artis, vel scientiæ, Italia post Byzantinam ruinam a Græcia rapuerat, in patriæ: finum deportare: Qui etiam Medicinæ, sub his tectis, Literarum, in utrâque Academiâ, fautor, præceptor Erasmi, samiliaris Laurentii de Medicis, tutor Arturi principis, rector valetudinis Regiæ, virtutum et scientiarum fere omnium miro concentu ornatissimus, honores, quos in universos solet spargere Fortuna benignior, sibi singulo accumulasse videtur. Neque felicitas

felicitas illa, quam vivus assiduam habuerat comitem, vel post funera deseruit, nobilem enim velut Arabum avem, alterum et eundem, fuccessorem dedit Caiium, qui pari ingenio, disciplina, dignitate, erga suos benevolentià cum Antecessore consentiens, operi ab illo inchoato, at nondum perfecto, extremam manum imposuit; Ædisicio nostro ornamenta constituit, Collegium statutis firmavit, atque infignibus decoravit, ejusdem egit jura, causam sustinuit, et Annales elegantissimos composuit, etiamque insuper in Cantabrigiâ suum literarum studium et amorem, amplissimis monimentis consecravit: Cujus, quæ fuerat auctoritas, testetur Ephemera sua, inter sacra, edicto promulgata; Quanta doctrina, Græcæ, quas in Italia habuit, Prælectiones; Et qualis Industria, in Anatomià viginti annorum labor, propriisque de libris in gratiam Hatcheri confectus, ille liber, quem inter alia ejus opuscula, olim in lucem protulit pater meus, Vir ipse, ut pace vestrà dicam, omnium studiosus doctrinarum, vitæ integerrimus, et, si non fuisset opinionibus quibusdam nimiúm antiquis et pené obsoletis, paululum magis deditus, quam adeó gravem decuit virum, satis dignus qui in hanc, aliamve quamlibet doctam et probam sodalitatem cooptaretur.

CAHUM excepit longus virorum lectissimorum ordo, quorum finguli, literarum studio versati, fontem e quo defluxerant, fecère manifestum; Plures, ob munificentiam, vel acumen, vel industriam fingularem, honeftissimas laudes consecuti sunt. Inter hos Cadwaldus cum nobilissimo Lumleio Chirurgicam Cathedram posuêre; Gulstonus mortuorum cadavera publicé incidenda et Prælectiones Pathologicas instituendas curavit; Lowerus a Cordis, Whartonus a Glandularum, Glissonus ab Hepatis, et Willisius a Cerebri inquisitione, et investigatione, sagacitatis, et assiduitatis palmam præripuêre. Inferioris quoque temporis, at ejusdem prosapiæ Sydenhamum et Hodgesium religio esset prætermittere, quorum Ille, ob acumen, verecundiam, mentem simplicissimam, veramque sidem, apud exteros, suosque meritó alter audet Hippocrates; Hic Pestis Historia satis vulgatus, ab

E

animi robore, Patriæque caritate plus meruit: Gravissimis enim temporibus, et propé ruina afflica civitatis, cum in universos feré penetraret contagium, omnesque de se desperare cœperint, Hic fidei quam salutis cupidior, et securus ubi ipse tutó viveret, si aliis posset esse præsidio, ad miseros succurrendos totum se contulit, neque aliud e tali labore præter gloriam, rarum dictu! vel quæsivit, vel adeptus est; Hunc enim, Cives sui, suo periculo vix superstites, et tanti, et tam recentis beneficii jam immemores, fenem, pauperem, in publica conjectum vincula, Proh nefas! ut squalore, solitudine, et egestate interiret, reliquêre, cui æquior Vetustas, ob animam Patriæ oblatam, in Deorum numerum ascito, statuas posuisset!

Vivet extento et Hameius ævo,

Notus in fratres animo paterno;

Qui has Ædes ære alieno gravatas, atque auctionibus factis, sub hasta venditionis positas, erexit, redemit, brevique posteá, urbis communi incendio conflagratas de integro ædificavit, et moriens insuper amplissimis prædiis stabilivit.

Dres me viresque desicerent, Socii ornatissimi, si vellem innumeros illos, quos attulere tempora his consequentia, propriis nominibus, suisque laureis donare, si Radclivii sagacitatem, Halæi antiquos mores, Broxholmianæ amicitiæ dulcedinem, Plumptrei urbanitatem, si Frierdii, si Pelletii doctrinam laudibus debitis illustrare conarer: Duos autem, et vobis, et mihi desideratissimos, nequeo quin in transcursu commemorem, nempe, Wollastonum et Hadleium, quos, breves suorum delicias, literis à pueritia deditos, moribus lepidissimis consimiles, studiorum, amicitiæ communione par conjunctissimum, anno eodem, ejusdem sebris inimica vis oppressit,

Et duræ rapuit inclementia mortis.

Sed quo me detulit Orationis cursus incitatior, Meadum silentio præteriisse videor? Oh virum omnium sæculorum laude celebrandum! Patriæ decus, et quantúm mortali conceditur dextræ, humani generis tutamen! Veniam dabitis, Socii Charissimi, neque multúm gravabimini, si paterno, si proprio jure, in illius præconia

conia paululum commorarer, cujus nomen ab incunabulis balbutire didici, puer circa genua lufi, quem in Ephebis admirari incepi, jamque graviori ætate, acrior rerum, hominumque factus judex, non tantúm dilexi, sed amavi plurimum. Erat ei (et meministis) in vultu dignitas, in ore suavitas, in verbis fides, in omni re agendâ tantúm venustatis, tantúm benignitatis, ut nihil suprà. Inter medicos primarium, inter doctos eruditum, inter amicos jucundum, parem fere principibus, communem infimis, omnis vitæ decuit color; Æquales obsequio, juniores comitate et sermonis affabilitate, adeo fibi devinxerat, plures operâ medicinali, omnes liberalitate in tantúm suos reddiderat, ut judicare sit difficile, cui ætati, cui ordini fuerit carior; Lauté vivebat, et cum præpotentibus focietatem conflabat, non minús ingenio, quam elegantiâ vitæ, et erudito illo luxu, quem fibi (quantum non indiligens debuit paterfamilias) indulgebat, abundé providus, ut in omni accubatione epulari, tam animo convivarum, quam ventri consuleretur, et quos accedentes, ab insolentià prosperæ fortunæ sejunctus benigné

benigné acceperat, abscedentes saturos, lætos, et semper doctiores dimiserit. Quid referam ejus antiquitatis amorem, cum regibus commercium, literatorum patrocinium, tabularum pictarum, fignorum, marmorum veterum, numismatum, et supellectilis literariæ copiam? Vel quid opus est testimonia afferre de judicio ejus eirca instantia acutissimo, de callidissima quam faciebat in Prognosi conjectura, vel de illà humanitate, qua universos, quos gravior fortuna concufferat, vel tempora excluserant, nullo discrimine, comprehendere solebat? Hoc tamen experto liceat affirmare, quod bonorum, amici in modum, defenfor, nullà in re, magis ex animo, vel pecunià vel auctoritate utebatur, quam in artibus ingenuis excolendis, in periculis proborum deprecandis, aut egentium inopiis sublevandis: Etiamque cum esset fummå senectute, atque affectà ætate, et cum præcordiis conceptam mortem feré contineret, frequens ejusdem benignitatis emicuit splendor, adeó ut sub virium infirmitate, et vanescente spiritu, animam tamen cœlo cognatam possitis agnoscere,

Et veteris vestigia slammæ.

Chare Senex! Si quid immortalia pectora tangit rerum nostrarum quotidianarum cura, hæc Mænia custodi, tuoque huic fave Collegio! Sit perpetuum; Intaminatis fulgeat honoribus; Hosque inter parietes, imisque in Cordum Sodalitatis hujusce penetralibus, locum domicilio æternum fibi deligant, quanquam ab Aulis, Castris, Curiis, totoque terrarum orbe fugatæ, intemerata Fides, nuda Veritas, liberalis Doctrina, et magistra morum, materque omnium artium, Philosophia. Meque, filiorum quamvis minimum, etiam me, O Pater, respicere ne dedignere; Animi tui elati amplitudinem, doctrinam illam reconditam, quarum monimenta sempiterna in sermone hominum reliquisti, non exposco: Parvum parva decent, es humilis ipse, pusillique ingenii non peto cœlum stultitiâ: At indolis illius, quâ nihil humani alienum putabas, at benevolentiæ tuæ, quâ in commune bonus Regum æquabas opes animo, portiunculam faltem concedas; Ut amicitiam * Collegæ spectatif fimi, cui me, hoc fastigium debuisse, aperté, graté,

et lubenter fateor, ut favorem Principum excelsissimorum, quibus quam humillimé servio, aliquantulum meruisse, neque errore hominum prorsus ad
honores irrepsisse videar; Denique, ut huic Collegio,
generatim, privatimque, si non pro meritis, votisve,
tamen pro viribus enixé respondeam, acceptique benessicii memoriam, quam mente teneo, repostam servem, nunquam nisi animam estlans, amissurus.

FINIS.

certabenter facor, ut favoren Principus exceláfile murem, quibus qu'un hamiliero giuvio, sliquentulum metudie, reque arrorachaminum prodice ad
habore irrepalde sident; Decique, ut hab kollegio,
generaling pricatingde, it can pre marille, voltive;
tamen pro viriles enixé respondemperté lique les
quies murerorique, quen, cuente tenues repotèna (esquies murerorique, quen, cuente tenues repotèna (esque filmque as illé animam elllans, amidians, ten-

The state of the s

THE REAL PROPERTY OF THE PERSON OF THE PERSO

AND THE PERSON NAMED IN COLUMN TO A PARTY OF THE PERSON NAMED IN COLUMN TO A P

the territory that the way to be the second

